Q. D. B. V.

NATURAM ET CURAM

MEMORIÆ,

Ex Consensu Gratiosissimæ Facultatis MEDICÆ Wittenbergensis,

Sub Moderamine

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi,

DN. CHRISTIANI VATERI,

Phil. & Medic. Doctoris, ut & Physici Provincialis Celeberrimi,

Dn. Patroni & Præceptoris sui omni honoris cultu ætatem devenerandi,

exhibet

Ad diem XXII. Decembris,

A. Æ. CHR. cIↄ Iↄc LXXXVI.

A. & R.

Gottlieb BUDÆUS, Hertzberg. Saxo,

Alumnus Electoralis.



Wittenbergæ,

Excudebat MARTINUS Schultze.



J. J.

PROOEMIUM.

Felices, fateor, sumus præ majoribus nostris, quòd in hæc tempora incidimus, quô tot arcana Naturæ, veluti sponte suâ panduntur, crescentibus subinde, non dicam annis, sed mensibus singulis, novis experimentis & demonstrationibus Physicis, Mathematicis, Anatomicis, Chymicis aliisque, adeò, ut ferè nihil ad summam Artis nostræ perfectionem desiderari posse persvadere sibi quisquam posset. Verùm tantum abest, ut absolutam atque perfectam, vel unicam tantùm Artis partem credam, ut utrum nobis vel majoribus nostris minores difficultates expediendæ restare videantur, nesciam; ubivis enim adhuc, præcipuè in fundamentis nostris Physiologicis, obscuritates, defectûs, dubia, imò planè falsa deprehenduntur, sive, qvod per imbecillitatem sensuum & lumen rationis nostræ obscuratum, ad intimiora naturæ pervenire planè non liceat, sive qvod Doctores etiam & Scriptores plurimi genio suo & hypothesibus præconceptis nimiùm indulgeant, & faciant sæpiùs, ut nimiùm intelligendo, intelligant minùs. Descendere paulisper si placet ad ensuum internorum scrutinium, certè adhuc spissæ tenebræ videbuntur; Cujus qvidem obscuritatis ratio omninò sita est in admirabili, & intricatâ Cerebri structurâ intimiori; Sed tamen non levis forsan culpa etiam in eos redundat, qvi sensationes, (qvas tamen brutis æqvè ac hominibus communes esse viderunt) à materiali spirituum systemate fieri posse, credere noluerunt, aut non potuerunt; unde neglectâ omni structurâ corporeâ, in animâ tantum immateriali eas qvæsiverunt, ideò qvòd sensationes in nobis mentis beneficiò percipi deprehenderint. Sed sepositis

tis his, hâc tantùm vice MEMORIÆ, utpote thesauri hominum, præcipuè Eruditorum incomparabilis, Naturam & Curam pro ingenii mei modulô disqvirere constitui; Cùm enim hæc, teste etiam Senecâ, *præcipuum inter humanæ vitæ commoda, locum sibi vendicet, ex ejusdem qvoqve constitutione & prudenti conservatione, præcipuum vitæ nostræ bonum redundare, nullum dubium est. Faxit hoc DEUS Clementissimè!*

CAP. I.

De Naturâ Memoriæ.

§. I.



Nteqvam ad scopum palmarium me accingo, præstat pauca qvædam circa sensationes in genere supponere; qvoniam enim MEMORIA, etiam juxta communem Doctorum Sententiam, est sensuum omnium famula, vel rectiùs sensationum anteà factarum repetitio, reiteratio, nullum dubium est, qvin his satis intellectis, de MEMORIA qvoqve pleniùs & planiùs judicare qveamus,

§. 2. Communiter qvidem sentiendi modum in eô consistere docent, qvòd objecta sensibilia, qvalitatibus realibus gaudentia, à se diffundant alias qvalitates intentionales, (qvas species sensibiles appellant,) ita qvidem, ut facultas sensitiva ibidem residens, istas qvalitates mediantibus spiritibus recipiat, easqve ad facultatem, Sensum Communem dictam, transmittat, à qvâ demùm fiat istius qvalitatis perceptio, dijudicatio f. sensatio. Sed audiuntur termini nominales, qvibus res aliàs obscura multò magis involvitur: Explicandum adhuc relinqvunt, an & qvid sint facultates istæ sentientes? qvid qvalitates sensibiles & in specie intentionales? qvomodò afficiant organa, an intentionaliter tantùm, realiter vel corporaliter? qvâ ratione ad Animam transferantur sentientem, & qvæ sunt alia?

Ratio sensationis Animalis Externæ juxta Veteres.

§. 3. Relictis igitur istis Nominalibus, concipimus, *sensationem* animalem qvamcunqve nihil aliud *esse*, qvàm *motum spirituum animalium, intra organa ad hunc motum artificiosissimè fabrefacta, ab objecto qvodam corporeo inductum.* Sed motum hunc nemo facilè intelliget, nisi

Genuina.

cor-

corporis animalis machinam præcipuè qvoad concinnam organorum, qvibus sensationes peraguntur, texturam, exqvisitissimo artificio fabrefactam, intelligat. Cognoscenda qvippe ante omnia est concinna nervorum & fibrillarum tenerrimarum, à Cerebro & spinali medullâ, ad omnem usqve superficiem corporis extensa & coexpansa series, qvomodo non solùm Cerebri compagem, sed etiam ubivis in sensoriis organis identidem sibi modò occurrant, modò in fasciculos colligantur, mox iterum dividantur, ita ut elegantissimum rete repræsentare videantur. Cognoscenda etiam si non corporis, tamen mentis oculis in organis istis coextensa spirituum aura, è particulis subtilissimis, penetrantissimis, lævigatissimis, summè mobilibus conflata & qvæ sunt plura alia, de qvibus præter avtopsiam consulantur, Accuratissimi Anatomici, *Willisius in Anatom. Cerebr. & d. Animâ Brutor. Malpigh. in Epist. ad Fracass. Bohnius, Wedelius & Ettmüllerus in Physiol.*

§. 4. Tunc mirum adeò non erit, qvòd spiritûs hi à Cerebrô per universum corpus ita expansi, alium atqve alium motum realem ab Objectis externis patiantur; qvòd etiam motus iste, ictus, vel agitatio in tàm mobili, & plusqvam aëreo spirituum systemate necessariò in instanti & radii instar ad cerebrum usqve devolvatur, qvoniam etiam aëris systema unâ parte percussum, vel qvâcunqve ratione motum, motum istum qvoqve ad partes sibi connexas, licet longè lateqve dissitas, propagare, sonumqve producere videmus. Probatur.

§. 5. Ideoqve etiam in omni sensatione animali reqvirebatur appulsus, vel attactus objecti alicujus materialis s. corporalis, ad organon qvodcunqve sensorium: Ab objecto enim corporeo commoveri possunt tantùm organa corporea, cùm nullum immateriale extrinsecum corpus materiatum attingere vel movere aptum sit; Sive magis passivè se habeat objectum istud, qvando scilicet sponte tentamus audiendo, tangendo, sive activè, qvando etiam nobis nolentibus ad sensorium aliqvid allidit: Variant etiam objecta pro ipsorum organorum sensoriorum statu subtilitate & eminentiâ: In qvibusdam enim corpora magis crassa; in aliis verò vel sola effluvia subtilissima, reliqvis sensibus insensibilia & qvasi incorporea, omnia tamen materiata & figurata esse, oportebat. Objectum sensationis.

§. 6. Distingvuntur qvidem sensûs à Scholis in Corporeos & incorporeos, eò qvòd alios, visum scil. & auditum ab objectis planè incorporeis, speciebus nempe intentionalibus induci credant, Verùm Semper est corporeum.

ut taceam, ſpecies intentionales eſſe penitùs incomprehenſibiles, inexplicabiles, imò fictas; inſuper rationibus & experimentis liqvidò conſtat, ipſiſſimam lucis ſubſtantiam materiatam, diverſimodè figuratam, reflexam & præcipuè in coloribus omnibus modificatam, unicum & proprium viſûs objectum movet aërem circumfuſum, iſteq; motus per lineas rectas ad oculos defertur, indeqve Spiritûs in oculis, præcipuè tunicâ retiformi, & hinc nervo optico excubantes realiter commoventur, propelluntur, qvandocunq; videmus; Et ſic etiam ipſiſſima aëris ſubſtantia in ſono vibrata ferit membranam, Tympanum in auribus & ſub eâ contentum aërem, ſ. Spiritum potius, qvando audimus. Conf. *Excellentiſſ. Bohnius & Wedelius l. c.* & *Grimald. Tr. Phyſ. Mathemat. de Lumine Tr. I.*

§. 7. Tales motûs ab objectis corporeis externis ſpiritibus impreſſi, non ſtatim evaneſcunt, qvin potiùs ſimili repercuſſionis modô univerſum ſpirituum animalium tractum, ad cerebrum usqve continuatum, movent, hinc exactè ſimiles motûs intimiùs propagantur & ab animâ percipiuntur, remoto licet objecto externo: Et hic appulſus vel terminus omnibus ſenſibus externis eſt communis, à qvo deinde reliqvis ſpirituum motionibus internis occaſio ulterius præbetur, ideoq; etiam non immeritò dicitur *Senſus Communis*.

Senſus Communis.

Phantaſia.

§. 8. Iſte inteſtinus ſpirituum motus, ſi fortior & exqviſitior fuerit, nondum ceſſat, ſed continuatur aliqvamdiu ulteriùs inter fibroſas Cerebri canales, juxta motum impreſſum; Circulantur qvaſi Spiritûs, itûs & reditûs faciunt, qvousqve tandem ſuâ ſponte ab eodem ceſſant: In hôc ipſô motu continuatô conſiſtit *Phantaſia animalis*, Brutis æqvè ac Hominibus propria, ſaltem qvod in his anima rationalis occaſionem uberiorem nanciſcatur, juxta motiones diverſas ab objectis inductas, illorum qvoqve objectorum naturam accuratiùs judicandi, examinandi, conſeqventia multipliciter dividendi & componendi.

Memoria.

§. 9. Tandem ſi motûs ejusmodi, itûs & reditûs ſpirituum diutiùs continuantur, neceſſariò in fibris Cerebri innumeris, ſpirituum excubantium diverticulis, tramites ſ. veſtigia qvaſi patentiora & aptiora fiunt, Spiritûs qvoqve motui iſtô aſſveſcunt valdè, ita ut licet motio illa ad tempus aliqvod ceſſet, tamen obveniente tandem eôdem objectô eodemqve motu idem Spiritus viam illam, qvam anteà decurrebant, longè aptiorem & faciliorem inveniunt, & hinc qvoqve expeditè priores motûs repetunt: In hâc promtitudine unicè *Memoriæ ſenſualis* fundamentum conſiſtere, veritati prorsùs conſentaneum eſt.

§. 10. Per consequens sensûs hi omnes, unô eodemque locô & sede exercentur, nec organis certis, uti Veteres judicabant, distingvuntur, ita ut sensus communis in anteriore, Phantasia in mediâ, & Memoria denique in posteriore cerebri parte habitaret. Ut paucis dicamus, quòd res est, differunt hi sensûs tantùm, ut diversi actûs vel motûs spirituum, in unô eôdemque subjecto peracti. Vel unicus tantùm sensus internus est in diversas functiones distinctus. Sedes horum sensuum non sunt diversæ.

§. 11. Intellectam autem hic volumus Memoriam sensualem, brutis æquè ac hominibus communem, cujus læsiones & Curam hîc indagare meditamur; Diversa enim prorsùs est *Memoria rationalis*, menti humanæ tantùm etiam post mortem propria, quippe quâ homo motûs in sensitivâ memoriâ factos intimiùs speculatur & conservat, quæ tamen per se neque lædi, neque curari potest, atque propterea hujus loci non est. Memoria duplex.

§. 12. Sed Memoria sensualis etiam non eôdem semper modò apprehendi potest; Nam (1.) accipitur pro illâ virtute, potentiâ vel promptitudine ad conservandas & reddendas species objectorum absentium & præteritorum, i. e. actu primo seu fundamento Memoriæ, quod paullò antè supposuimus, 2. actu ipso s. actuali cognitione & redditione motionum promptissimâ. 3. in specie pro habitu s. perfectione Memoriæ, quâ aliquis perfectissima & maximè exculta memoriâ instructus esse dicitur. Secundam acceptionem præcipuè hic nostram tantùm facimus, ipsum scil. actum Memorationis s. memorationem ipsam, quatenùs animal, & in specie homo species perceptas non solùm promptissimè retinere, sed etiam reddere potest. Atque hanc definimus, quòd *sit rerum anteà sensibus perceptarum promptissima & expedita redditio, recordatio à motu spirituum reciproco & reiterato dependens.* Memoria sensualis triplex.

§. 13. Notanter dicimus promptam & expeditam rerum anteà perceptarum redditionem; Hoc enim officium & munus felicis Memoriæ est, ut omnes sensuum internorum motiones, operationes, sive ab externis sensibus, sive etiam in specie à mentis ratiocinio productas & fabricatas ipsas ingenii ratiocinationes & judicii decreta, quoties opus est, promptè reddat, nihil plane omittat, vel addat, vel immutet. Et hæc recordatio motui spirituum eodem plane modo repetito, reiterato immediatè debetur, vel rectius, fundamentaliter in eo consistit, ut antea demonstravimus. Ratio formalis Memoriæ.

§. 14. Aliàs Memoriam explicant per Receptionem imaginum Communis Explicatio.

vel

vel ſpecierum, ſed quas imagines concipiant, ipſi neſciunt. Alii planè materiales figuras ſibi concipiunt, & propterea exemplum ſigilli afferunt, ad cujus modum figuræ certæ cerebri ſubſtantiæ imprimantur: Verùm quis unquam vidit tales imagines Cerebro impreſſas? aut quis credat Cerebri ſubſtantiam humidam & mollem, ad figurarum realium aut materialium receptionem aptam exiſtere, aut tot infinitas imagines recipere poſſe? Quibus, quæſo, ſpatiis continentur illæ imagines, quibus ſedibus erunt diſpoſitæ atque ordinatæ, ut cuncta confertim & ſingula ordinatim promere atq; dirigere posſit memoria? An ita forſan Memoria Equi exiget majorem locũ in cerebro, quàm Muſcæ? Quod omne certè neceſſum foret, ſi per ſigilla realia memoria produci deberet. Sed neque ſpecies intentionales in Cerebrô locum habebunt, non ſolùm, quòd illæ planè non dentur, verum etiam in Cerebri conclavi obſcuro & tenebricoſo, nullô modô lucido aut translucido repræſentari nequeunt. Novi equidem, quòd concedi etiam debeant Ideæ immateriales & ſpiritales, earum tamen Mens tantùm rationalis & ſpiritalis capax eſt; hic autem ſolliciti ſumus, de Memoriâ ſenſuali & brutis quoque communi.

Probatur. §. 15. Relinquitur ergô, hanc Memoriam ſenſualem fundamentaliter tantùm in promptitudine & facilitate motionum in ſpiritibus animalibus anteà factarum conſiſtere. Hi ſcilicet ſpiritus in æquilibrio per univerſum Cerebrum obvolitantes, & ex innumeris plexuum vaſculis erumpentes, quando ſecundum naturam ſpirituum & fluidorum, ab objectorum allapſu moventur diverſimodè, neceſſariò alios atque alios in compage cerebri poros atque fibras aperiunt, quod ſi conſtanter fit, neceſſariò fibræ iſtæ quâdam inclinatione ad motum iſtum impoſterùm obſequi tenentur, præcipuè cum etiam Spiritûs huic motui aſſveſcant valdè; Ita enim omnes habitûs tàm animi, quàm corporis oriuntur demùm à crebrioribus actionibus, dum iisdem facilitatur Spirituum motus, & Spiritus ſæpiùs eôdem modô moti & agitati poros qvoqve, meatûs omnes & interjectas ſemitas adeò patulas reddunt, imò fibras ipſas in talem ſitum ac cõplicaturam reducunt, ut facillimô impetu repetitô Spiritûs iſti tranſire & motiones easdem ſenſuales repetere valeant exactè. Aliundè derivari non poſſunt ſcientiæ qvæcunqve & artes, e.g. diſcurrendi, ſcribendi, canendi, ſaltandi. Ipſa muſculorum manus certâ configuratione mediante ſpirituum animalium circulantium influxu, pennam ſecundum mentis arbitrium dirigentium

gentium facta, tandem manus scriptoris disponitur, ut certæ semper & similes producantur literæ: Sic ab exercitiis crebris demum nascitur habitus.

§. 16. Imò ex hoc fundamento omnes brutorum actiones sive sensuales, sive alias derivare & explicare nunc adeo difficile non est, ut imposterum eorum animam à spiritibus peculiarem & immaterialem fingere, necessum haut sit. Dolores certe, odores, sapores colores percipere ac distingvere, res gratas appetere, ingratas fugere, amicos cognoscere & ab inimicis discernere, aliaque similia, quæ in brutis quotidiè admiramur, materialem essentiam, ejusque capacitatem non transcendunt nec proptereà statim dicenda erat immaterialis brutorum essentia; Hoc enim est artificium illud divinum, quod communem quidem materiæ conditionem superate videtur; In materiâ verò impressum voluit Conditor noster admirabilis; Idem enim Creator omnipotentissimus, qui animæ humanæ tot virtutes, quas alias Angelicæ substantiæ non habent, concessit, multò magis animam, licet quoad substantiam materialem, potuit longe ignobilioribus & tantum analogis donis beare.

Organa Memoriæ.

§. 17. Sed neque hæc dona sunt exigua, imo tanta, ut ex singulis Majestatem Creatoris sapientissimi æstimare liceat, tantũ pauca quæ ad Memoriæ sensum faciunt, recenseo: Requiruntur præter organorum harmonicam & quasi avtomaticam structuram; præter conformationem Cerebri & Cranii legitimam, non nimis magnam; vel parvam, Spirituum in Specie justa temperies, debita subtilitas, puritas & mobilitas, certus & regularis influxus, itus & reditus &c. quæ omnia jam tum perspexit *Beatus noster Sennert. Pr. l 1, C. 15.*

Differentiæ variæ.

§. 18. Respectu hujus Organicæ dispositionis, oriuntur etiam tam diversi gradûs Memoriæ, ita ut alii longe facilius recordentur rerum alii minus; quòd alii faciliùs recipiant, sed amittant rursus rerum cognitionem, alii contrà difficulter admittant, sed diutius conservent, prout hæc in Læsionibus Memoriæ pluribus monstrabuntur. In specie admirabilis valde est Memoria fere prodigiosa in quibusdam hominibus, adeo ut etiam Eruditissimus *Sylvius* rationes ejus se nunquam assequi potuisse, ultrò fateatur. Procul dubio autem dependet hæc quoque à Cerebri fibrarumque ejus exquisitissimâ structurâ, viarum & pororum apertura, spirituum summa puritate & mobili-

bilitate, corporis totius exactâ temperie, aliisque circumstantiis, quæ omnia tamen melius patebunt ex sequenti Cap. Quid si dicatur, quod etiam *Animæ* rationalis dona excellentiora per culturam, aut etiam per hæreditatem acquisita, multum contribuere possint.

Connexio Memoriæ sensualis cùm rationali

§. 19. Nam, quod maximè notandum, sensuum omnium internorum, adeoque m. Memoriæ operationes in homine immediatè menti ejus communicantur, imò à mentis operationibus inseparabiles sunt, unde ejus memoria sensualis conjungitur semper cum rationali. Præsidet mens & unita est corpori nostro tantum spirituum animalium immediato interventu; ergò etiam immediatum & intimius iis intercedit commercium omnium actionum & passionum. Rationalis Memoria adjuvat & excolit sensualem, quatenus mens motûs istos repetitos in sensuali memoriâ non solum attentè contemplatur, sed etiam eorum cognitionem, species l. ideas intra se spirituali modò recondit & pro lubitu reddit, eosdem in spritibus motûs excitando, licet objectum olim perceptum jamdudum absit: Et ex hoc patere arbitror, quare homo speciem objectorum dudum perceptorum in memoriam pro lubitu revocare possit, quod brutis prorsus impossibile esse dixerim, nisi objectum rursus præsens sit, quod eundem motum spiritibus per sensus externos exprimere queat, vel ad minimum motus firmiter impressus spiritibus adhuc cohæreat, seu in Phantasiâ restitet.

Reminiscentia.

§. 20. Et sic etiam patet natura Reminiscentiæ, itidem hominibus tantum propriæ, cum nihil aliud sit, quam ipsa recordatio sensualis, sed difficilior quodammodò, sive ob motiones dudum præteritas, indeque vestigia obliterata, sive etiã minꝰ firmiter & constanter spiritibus commissas, quæ tantum à mente humanâ è circumstantiis variis, à tempore, locô, aliisque adjunctis, juxta rationis suæ ductum petitis, eliciuntur rursus & repetuntur.

CAP. II.

Memoriæ læsiones evolvit.

§. I.

Duplicem quidem in homine supposuimus & probavimus Memoriam, sensualem scil. & rationalem; Illius tamen rationem ideò præcipuè habuimus, quoniam læsionibus & passionibus subjecta est, earumque medelas invenire necessitas postulat.

§. 2.

§. 2 Facile autem patet, quas Memoriæ læsiones hic intelligamus: Non eam quæ fit ob diuturnitatem temporis; Ita enim omnia temporis causâ oblivisci necesse est; Sed talem, quâ quis præter solitum & præter naturam objecta sensibilia quidem percipit, sentit, difficulter autem, vel planè non memoriâ retinere & reddere valet.

An Memoria seorsim lædi possit.

§. 3. Lædi Memoriam posse, nullâ quidem probatione indiget, cum è quotidianâ experientiâ id satis manifestum sit: nihilo secius tamen notabile est, Memoriam seorsim i. e. citra sensûs Communis & Phantasiæ læsionem, lædi haut posse; idque non mirum: Memoria enim præsupponit utramque sensationem istam: Per has sensationes Memoria habet, quicquid habet; nec daretur Memoria, i. e. vestigia Spirituum motorum, nisi prius moverentur in sensu communi & Phantasiâ. Alia ratio est, quando sensus communis & Phantasia seorsim læduntur salvâ Memoria, uti fit in vertigine, Comate & Carô.

An lædi possit illæsis organis.

§. 4. Quæri etiam posset, utrum Memoriâ, illæsa Cerebri & Spirituum substantia lædi possit? Ad quam quæstionem responderi non potest, nisi distingvatur prius sensualis à rationali: De sensuali impossibile est, utpote quam ex harmoniâ organicâ Cerebri & Spirituum totam pendere hactenus vidimus; Sed de rationali asserere non dubitarem; si enim delirare potest mens è fictis pathematibus propriis, sine culpâ corporis, uti id probant infinita Exempla Melancholicorum, quidni etiam Memoria, ideas vel conceptûs rerum non solum perdere, sed ne quidem alias recipere posset, si forsan ab animi pathematibus continuo angitur & turbatur, salvo licet audhuc totô corpore & cerebrô ipsô.

An depravari possit?

§. 5, Sed depravari tamen Memoria propriè non potest; In deliriis quidem diverso ac inverso sæpius ordine depromuntur & redduntur objectorum motiones, secus ac sensibus offerebantur; Id tamen non tam pravæ memoriæ, quàm Phantasiæ adscribendum esse judicamus.

Memoria aucta non est læsa.

§. 6. Neque etiam auctam Memoriam inter læsiones habere licet, cum hanc potius, ut virtutem & excellentiam ingenii quilibet sibi exoptet.

Læsio quomodo fiat?

§. 7. Consistunt igitur Læsiones Memoriæ quæcunque tantum in Imminutione & abolitione. Imminuitur duplici ratione, vel quando difficulter recipiuntur, aut si recipiuntur, facilè rursus perduntur rerum notiones: Aboletur verò, quando prorsus neque recipiuntur, neque retinen-

tinentur notiones quæcunque; Hinc ita definimus Læsiones istas conjunctim, quod sint rerum anteà sensibus internis perceptarum recordatio difficilis, vel prorsus impossibilis, à Spirituum motu reiterato impedito dependens.

Subjectum primarium.

§. 8. Differunt Imminutio & Abolitio tantum gradualiter, unde etiam utriusque læsionis subjectum idem procul dubio est, quod ipsius Memoriæ sensualis, Cerebrum scil. ejusdemq; fibræ potissimum, tanquam spirituum promptuaria, in quibus omnes motûs à sensibus inducti primariò peraguntur; Ibidem ergo motûs spirituum repetitos & ad Memoriam necessarios impediri, vel plane aboleri necesse est.

Secundariū.

§. 9. Eam tamen læsionem Cerebrum non semper à se ipso, quin etiam ab aliis visceribus participat, undecunque enim Spiritibus vel cerebro ipsi labes communicari potest, ibi Memoriæ læsæ fomes & causa radicalis generari, vel suppeditari potest; Hinc impossibile est, Memoriam satis valere, in extremè Cachecticis, Phlegmaticis, Melancholicis, Scorbuticis & similibus, in quibus primæ & secundæ Digestionis viæ impuros succos generant & suppeditant, qui necessariò Cerebrum ejusque poros occupant & Spiritus quoque obruunt & turbant.

Requisita & Conditiones Memoriæ.

§. 10. Sed ut læsiones istæ eò magis pateant adhuc supponenda esse reor requisita & conditiones, quæ Memoriam felicem efficiunt; Et eorum potiora, uti ex antea dictis colligi potest, sunt (1) debita Spirituum uti vitalium, ita maxime animalium temperies, neque nimis calida, frigida, humida vel sicca; hæc enim est fundamentum harmoniæ in omnibus humoribus & spiritibus, consequenter omnium actionū corporis vivi. (2) Spirituum animalium exquisita subtilitas, puritas mobilitas, volatilitas, ut ab omnibus corporibus sensibilibus, etiamsi tenuissimis & vix sensibilibus facile commoveri agitari & impelli queant (3) Ordinatus & regularis eorum influxus, cursus, itus & reditus à primo sensorio ad orgāna sensualia & vice versâ: nec sit nimis tardus, ita enim motus ab objecto impressus citius perit, quam ad sensorium pervenit; neque nimis Celer aut tumultuarius ne motus illa fiat confusus, secus ac objectum sensibile induxit. Et hinc qq. (4) viarum vel tramitum, per quas decurrunt Spiritus, debita apertio, ut spiritibus commotis ultrro citroque pateant, nullibi resistant vel intercludant & denique (5) illarum viarum præcipue fibrarum decens & harmonica figura, textura & connexio, ne spiritus commotos aliorsum, ac ut decet, derivent & quæ sunt alia.

§. 11

§. 11. Imminutionem igitur & Abolitionem Memoriæ tribuimus proxime Spirituum animalium motui impedito vel abolito, & illi quidem reiterato, non vero omni; Si enim omnis Spirituum motus inhiberetur in Memoriæ læsionibus, adesset potius Apoplexia vel totalis cessatio omnium Actionum: Intelligendus igitur hic talis motus impeditus, qui sponte quasi quacunque occasione datâ redit, olim factus.

§. 12. Et ille quærendus est, vel in Spiritibus ipsis, vel in organorum, præcipue fibrarum structura: Spiritûs in culpâ sunt, quando langvent, vel prorsus deficiunt, vel quando impuri redduntur, nimis crassi, turbidi, nebulosi &c. Organa verò s. fibræ impediunt, si vel obstruuntur, comprimuntur, distorquentur, corrumpuntur, pravè conformantur: Singulæ hæ læsiones in eô quidem omnes conveniunt, quod Spirituum motum reiteratum difficilem reddant, quoniam verò ab innumeris ferè causis remotioribus originem habent, comprehendamus eas sub certis classibus, quoniam aliæ continentur sub rebus p. n. aliæ sub non naturalibus, aliæ denique sub Naturalibus. Causæ proximiores.

§. 13. Potiores sunt res præter - Naturales, ideoque etiam præ cæteris notari debent; tales autem rursus sunt vel morbi Intemperiei, vel conformationis, vel solutæ unitatis. Ex Intemperiebus potissimùm infesta est Memoriæ Humida & Frigida, uti totius corporis, ita in specie Cerebri; Hæc enim largâ plus justo humiditate viscosâ & acidâ Cerebrum irrigat, poros obstruit, fibras subtumidas & flaccidas reddit, ut impossibile sit, Spiritûs adeò obrutos libere moveri, ire & redire posse: Inde est, quòd Phlegmatici non solùm difficilem Memoriam, sed etiam sensum communem & Phantasiam tardiorem & segniorem habeant. Remotiores sunt Intemperies humida & frigida

§. 14. Huic succedit Intemperies frigida & sicca, viscida, accida, ♀rea, quam Melancholicam dicunt; quò etiam spectat in specie Intemperies Scorbutica ad læsiones Memoriæ aptissima, uti patet ex *Drawizio* de Scorbuto. Cum enim hic humores omni ferè sero dulci destituuntur, è contrariô partes 🜄res, viscosæ, acidæ exsuperant, necessario etiam pori Cerebri obstruuntur, inviscantur, fibræ contrahuntur, Spiritus ligantur & obstruuntur, ut rursus motum promptum, ad Memoriæ actus necessarium, invenire nequeant Frigida & Sicca.

Calida & sicca.

§. 15. Hic non excludi potest Intemperies calida & sicca, qvippe qvâ humiditates blandæ absumuntur, Spiritus dissipantur, fibræ exsiccantur, qvod eidem contigisse arbitror cujus Galenus meminit, qvi cum in colendis vitibꝰ diutiꝰ sub sole constitisset & inediâ usus esset, in oblivionem totalem incidit: Et illi vitrorum artifici, qvi ex immenso fornacis calore memoriam amiserat, à *Septalio* tamen curatus, uti meminit Lib. VI. Animadvers. Curat. XXXVI. Vir mediæ nondum ætatis à Nobiliss. Dn. D. Præside curatur, qvi à potu præcipuè vini, & qvidem jejuno stomacho non solùm Hecticam, sed totalem fere Memoriæ lapsum sibi contraxit.

Morbi varii Memoriam lædentes.

§. 16. Ex hoc fundamento etiam varii morbi, qvicunqve in his Intemperiebus fundantur, vel saltem cum iis commercium habent, Memoriæ læsiones inferunt. Ita Cephalalgiam diuturnã seqvitur communiter Memoriæ imminutio, uti patet ex *Foresto* l. IX. obs. LXIII. Ex Hydrocephaliâ Lethargum notavit *Hildanus* C. VII. obs. XX. E Paralysi oblivionem totalem contigisse Nicolao Cambier & Wilhelmo Prætorio, refert *D. Johann. Schmidius*, Medicus Dantiscanus in Misc. Cur. G. A. IV. & V. obs. CXLV. Multò minùs Memoria consistere potest in Caro, Comate, Apoplexiâ & Epilepsiâ, uti testantur Exempla ap. *Plater*. l. 1. obs. Forest. l. X. obs. XXXII. *Hieron.* Mercurial. l. 1. c. XIIX.

§. 17. Et in specie qvoqve morbos, qvi cum Intemperie calidâ complicantur, Memoriam lædere posse, edocent Exempla eorum, qvi ex Febribus ardentibus malignis, vel peste ipsâ Memoriam amiserunt, ap. *Forest*. L. X. Obs. 1. *Sennert*. in Prax. Galen. L. III. De Different. Symptomat. & L. II. de Caus. Symptomat. Qvemadmodum idem è febri Theologo qvondam Wittenbergensi celeberrimo, contigisse audivi.

Venena & Philtra.

§. 18. Ejusmodi Intemperies morbosqve inducunt etiam Venena & Philtra, sive ex Animalibus, Vegetabilibus vel Mineralibus desumta fuerint: Animalia enim ⊖e suo proprio Charactere insignito nimis fermentativo volatili & acri ingentes præcipuè in spiritibus animalibus turbas excitant, deliria & impetûs rabiosos inducunt. E contrario Vegetabilia ⊖e & 🜍re nimis impuro, vaporoso, viscoso poros Cerebri occupant, spiritûs ligant & irretiunt, ut Narcotica omnia, præcipuè minus correcta: Vel etiam qvædam ex his acredine suâ nauseabundâ vehementer stimulant & hypercatharses, aut ad minimum humorum

morum exagitationes inconvenientes efficiunt. Neqve Mineralia ab hâc classe aliena prorsùs sunt, utpote qvæ propter ingentem præcipuè acredinem, Purgationes violentas, convulsiones, gangrænas aliasqve tragædias in corpore excitant. Ex qvibus omnibus noxas qvàm plurimas etiam variis modis in *Memoriam* redundare posse, plus qvàm manifestum est, & confirmant qvoqve Exempla non pauca, e. g. Regis illius Gothorum, qvi è *Philtro* Memoriam penitus amisit ap. *Sennert.* l.c. Qvosdam è pilulis Cephalicis minùs benè operantibus Memoriam subitò perdidisse refert *Salmuth* obs. 41.

§. 19. Sed præter Intemperies etiam Conformationes Capitis vitiosæ, ejusdem graves contusiones, aut vulnera manifeste semper Oeconomiam animalem turbant. Hoc nomine *Platerus* Pr. Tom. I. cap.3. arguit vitiosam Capitis magnitudinem; Et Cerebrum mole perexiguum in fatuâ à nativitate reperit *Willis.* Nevrolog. C.XXVI. Neque mirum; siqvidem propter magnitudinẽ cerebri spiritûs animales nimis distrahuntur, propter angustias è contrariò supprimuntur, coarctantur & propter figuras pravas distorqventur, qvemadmodum specula fracta vel distorta species qvoqve visibiles tales exhibent. Conformatio vitiosa.

§. 20. Contusiones verò & graves Vulnerationis Memoriam abolere aut ad minimum depravare, docet puer ille summi Ingenii ap. *Hildan.* Obs. *Chirurg.* C. 3. obs. 31. qvi ex depressione Cranii adeò stupidus factus est, ut ad omnia ineptus redditus fuerit; Et ille Studiosus Mompeliensis referente Jordano ex ore *Rondeletii* de pestis *Phænomenis* Tr. 2. C. 2. qvi propter vulnus oculorum periculosum tantâ oblivione correptus est, ut instar pueri prima elementa addiscere coactus fuerit; Talia exempla plura leguntur apud *Zacut. Lusitan.* C.VII. Cur.XXXII. Tulp.obs.IV.C.XIV. *Plinium* L.VII. C. XXIV. Histor. Natural. Valer. Maximum l. 1. c.VI. Contusiones & Vulnera.

§. 21. Judico Intemperies & Conformationes ejusmodi læsas etiam hæreditariò & per familiam propagari posse; Communicari enim à Parentibus potest Temperamentum pituitosum, frigidum & per conseqvens spiritûs vappidi qvasi & effæti, i. e. partibus ▽sis, phlegmaticis, inertibus & similibus obruti; Servant siqvidem sangvis & spiritûs naturam suam primogeniam & pristini novos in sui consortium rapiunt, & disponunt; Qvemadmodum insitiones surculi aut gemmæ arborei trunci succum sibi plane vendicant Dispositio hæreditaria.

Tra-

Traduci etiam poteſt pororum & meatuum Cerebri nimia laxitas, apertio, ut recrementa ſeroſa & morbida in Cerebro largiùs decumbere & ſpiritibus ſe immiſcere vel obicem ponere qveant: Vel etiam nimia anguſtia eorum & coarctatio, unde non ſuppeditata materia ſufficiente animalium ſpirituum generatio & reparatio, ſimulqve influxus debitus impediatur. Communicari denuò etiam poteſt Capitis & conſeqventer fibrarum anfractuumque Cerebri figura & textura vitioſa ad Parentum typum formata, ſive mole juſtô majore, ſive minore, ſive ineptâ figurâ deformata, qvam paullò ante accuſavimus. Conf. circa hæc *Williſ. de Animâ Brutor. L. II. C. 13. Wepferus Exercit. de locis affect. in Apopl. Sebaſtian. Wirdig. l. 2. Medic. Spirituum C. IIX. & Maurit. Hoffmann. prudent. Med. ex ſangvine Medic. IIX.*

Cauſæ remotisſimæ

§. 22. Sed anteà recenſitæ Intemperies & morbi varii Memoriam lædentes dependent etiam ſæpiùs à cauſis Remotioribus vel Naturalibus, vel Non-Naturalibus: In naturalibus occurrunt Ætates, Sexûs & Temperamenta, qvæ ſingula ſuum contribuere qveunt.

Ætates diverſæ.

§. 23. Qvoad ætates Memoriæ obſtetricantur puerilis & ſenilis; Illa qvidem qvoniam multis humiditatibus obruitur, ſpiritus ſunt adhuc debiliores, minùs exaltati, fibræ & pori Cerebri minùs aperti, ad ejusmodi motûs ſpirituum reciprocos nondum diſpoſiti vel aſſefacti: Hæc verò qvoniam ſpiritûs & calor ſenſim deficiunt, exhauriuntur, è contrariô viſcoſitates exſuperant, in qvibus omnibus ſubſiſtere haud poteſt Memoria. Exempla huc facientia legi poſſunt ap. *Sennert. l. c. Plater. in Obſ. Cæl. Rhodigin. c. IIX. Antiqv. Lect.*

§. 24. Novi qvidem, qvod certo reſpectu & pueri & ſenes dicantur memores: Illi qvoniam omnia nova & mirabilia ipſis videntur, indeqve attentiùs & diutiùs intuentur, contemplantur, neqve multis objectis obruuntur, qvemadmodum de ſeipſo teſtatur *Platerus l. 1. obſ. p. 4.* Hi verò objecta eadem vel æqvalia non ſolum ſæpius obvia habent, ſed etiam majori ſtudio & prudentiâ judicant, indeqve motûs objectorum ſibi magis familiares reddunt.

Sexus.

§. 25. In ſexu qvidem nullum ab hôc malô immunem eſſe conſtat, ſeqviori tamen prærogativam debere, toto die obſervamus, neqve mirum, cum eorum Temperamentum communiter magis inclinet ad frigiditatem & humiditatem, ut taceam vivendi rationem magis mollem & inordinatam, memoriæ exercitium intermiſſum & qvæ ſunt alia.

§. 25. In-

§. 26. Inter Res Non-Naturales primum locum habet Aër crassus, nebulosus, impurus impensè frigidus; qvò etiam spectant Venti Australes, regiones & loca frigida, humida, nebulosa: Ex hujus culpâ Thraces ultrà qvaternarium numerando haut progredi potuerunt; ideoqve in Tyrolensi qvôdam comitatu amentium stulrorumqve freqventiam tantam observavit *Eustach. Rudius L. I. Pr. C.XI.* Sic Exemplum de militibus per montes nivosos iter facientibus memoria planè orbatis habet *Lud Mercat. d. Intern. morb. Curat. c. 19.* Aër.

§. 27. Post aërem nominanda inordinata Victûs ratio, si vel in qvantitate, vel qvalitate peccet; qvemadmodum enim magnâ lignorum humidorum strue flamma suffocatur, ita multorum ciborum congerie ventriculi & reliqvorum viscerum tonus debilitatur, cruditates cumulantur, fermenta & spiritûs obtunduntur vel suffocantur: Sed peccari etiam in defectu potest, qvando natura & spiritûs debito suo alimento privantur. Maxime verò in qvalitatibus, qvando alimenta nimis refrigantia, cruda, viscosa, acida, adusta, pingvia & similia familiaria habentur, unde non nisi crassi & turbulenti spiritûs oriri possunt. Victus.

§. 28. Non aliter comparatum est cum potu, sive nimis liberè & largè injurgitetur, sive nimis calidus, crassus, fæculentus, impurus, acidus, corruptus assumatur; A qvibus *Plinius LXIV. Hist. nat. C, 22.* omnium fermè rerum oblivionem, imò mortem Memoriæ gigni jam tùm vidit. Potus.

§. 92. Somnus & Vigiliæ sunt sensuum affectiones, ideò, si mediocritatis terminos excedunt, iis etiam maximè nocent; *Somno* enim nimio humiditates cumulantur, excrementa diutiùs retinentur, non discutiuntur, indeq; Spiritus & calor nativus infringuntur, obnubilantur: Prævalentibus autem Vigiliis, qvò etiam spectant Lucubrationes, curæ & meditationes nimiæ, spiritûs inordinatè moventur, dissipantur, consumuntur undeq; & ex hâc parte Memoriæ debilitatem conseqvi oportet. *Conf. Huart. in scrutin. Ingen. C. V.* Somnus & Vigiliæ.

§. 30. Attentionem qvoqve merentur Motus & Qvies: Motus eqvidem nisi excedat aut intempestivè instituatur, humorum ventilationem promovet, spiritûs excitat & vigorat; qvos tamen Motus & Qvies.

 è con-

è contrariò suffocat qvies, excrementa cumulando, humiditates augendo, fibras flaccidas reddendo; Hinc graviter monet *Sennertus*, quòd nihil magis perdat Memoriam, qvàm vita otiosa; & *Cato* otium præcipuè Memoriam imminuere notavit.

Excreta & Retenta.

§. 31. Excreta & Retenta nisi respondeant naturæ, non parùm tribuunt; Natura enim ideò gaudet emunctoriis pro excernendis superfluitatibus; hæc præprimis serosa & phlegmatica si per vias debitas non eliminantur, aliorsum sibi viam qværunt atq; sæpiùs ad cerebrum, seri aliàs diverticulum, facilè ruunt; Sic ex retentione mensium in fæminâ aliàs vegetâ XL. annorum sensûs non solùm hebetari, sed etiam Memoriam ita obliterari observavit *Ol. Borrich.*, ut ne qvidem Orationem Domini, totó alioqvin vitæ tempore sibi, ut erat religiosa, familiarissimam, recitare posset. Idem *Borrich.* ex V.S. in facundissimô aliàs & Plethorico Ecclesiaste, sed penè sexagenario, jacturam Memoriæ maximam & subitam observavit.

Veneris abusus.

§. 32. Huc spectat Veneris abusus, utpote qvô non solùm Balsamicæ & spirituosissimæ sangvinis partes subtrahuntur, adeò ut si qvid spermatis, suprà qvam naturæ conatus exigit, effunditur, magis obesse, qvàm si qvadragies tantundem sangvinis arteriosi emanaret, observavit jam tùm *Avicenna l. de Animal. C. IX.* Sed spitûs qvoqve præcipuè Animales maximè turbantur; Ideò, qvia Cerebri & Testiculorum exqvisitissimus est consensus, tùm ob substantiam ferè similem, tùm ob commercium spirituum intimum: Liqvor genitalis participat ipsius Cerebri naturam & nutrimentum & spiritus genitalis est ipse animalis: qvô respectu etiam Testiculos alterum Cerebrum non ineptè vocavit *Borellus*: Unius ergò dispendium semper & necessariò enervat alterius efficaciam; Nec vanum est, qvòd toties qvasi Comitialem morbum, teste Divino Sene, patiantur ii, qvi strenuè ♀rem exercent, vid. *Marsil. Ficin. de Studios. Sanitate l. I. c. 8.*

Animi pathemata.

§. 32. Deniqve Animi pathematibus maxima intercedit familiaritas cum sensibus, indeqve ex his qvoqve facillimè noxa redundat in Memoriam: Maximè è terrore & timore subitaneo spirituum systema percellitur & confunditur, ut sæpiùs priores cursûs invenire neqveant. Ideò *Petrus* ille Volmarus ad Amatam, cujus

jus nuptias ambibat, munuscula ferens, sed irrisus contemtusq; ab eâdem, ita terrebatur, ut primùm in Paralysin, mox Epilepsiam & tandem in stultam oblivionem incideret. ap. *Ol. Borrich.* referente *Bonetto l. c. C. III.* Similia Exempla videre licet apud *Septalium l. c. Aug. Thoner, l. v. p. 225. Cælium Aurel. C. V. L V.*

§4. 3. E tàm multiplici Causarum serie ortum suum habent Memoriæ læsiones, sed propter causarum, subjectorũ, graduum, aliorumq; accidentium diversitatem notabiles qvoq; differentiæ notandæ veniunt. In genere fuit dictum, Memoriam vel imminui vel aboleri. Illud tamen rursus non fit unò eôdemque modò; Nam observatur sæpius, quod Memoria quidem facilè admittat species quascunque, eas tamen facillimè rursus perdat; In aliis è contrariô difficilius recipit species, sed receptas non æquè facilè amittit; In aliis difficulter vel planè non recipit, neque conservat; In illis procnl dubio Spiritûs sunt satis mobiles, viæ satis apertæ & dispositæ, sed largiori nonnihil humiditate imbutæ, quâ & Spiritûs facilè irretiuntur eorumque viæ obliterantur: Fibræ quoque nimis flexiles redduntur, ut Spiritus priores tramites invenire nequeant; Hinc memoria talis familiaris est pueris, adolescentibus, fæminis aliisque humidioribus. In sequentibus verò Spiritûs sunt fixiores, difficiliùs mobiles, forsan & viæ angustiores ob Temperamentum siccius, unde non nisi cum labore & frequenti repetitione ad habitudinem motûs certi disponuntur Spiritûs; semel autem dispositi eandem dispositionem non facilè amittunt, qualis memoria familiaris est melancholicis & siccioribus Temperamentis; Quando verò planè deficit Memoria, vel spiritûs ipsi, vel viæ vel utraque inepta prorsus sint oportet, uti ex suprâ dictis patet. Differentia gradualis.

§. 35. Tales ergò diversitates graduales fiunt ratione diversarum causarum & remotiorum & proximorum, quæ quoniam in Curâ præ cæteris respici debent, eò curiosiùs notandæ veniunt, ita, ut ante omnia innotescat, an læsio dependeat ab Intemperie, eâque vel frigidâ, vel calidâ, humidâ, vel sicca, vel à conformatione læsa, contusione, vulnere &c. Ratione causarum.

§. 36. Ratione subjecti causalis etiam alia læsio est Idiopathica, quando Cerebrum ipsum causam intestinam fovet; alia Subjecti.

 Sym-

Symphathetica, quando per consensum alius partis communicatur.

Durationis. §. 37. Denique alia læsio est continua, alia periodica; Sic Lethargum periodicum cum Arthritidie observavit *Carolus Piso de Sero*: *Et Borellus C. IV. obs. 67.* refert Lethargum eodem die singulis annis recurrentem: Turgescens sc. serum per certa intervalla e. g. in pleniluniis vel anni immutationionibus turgere solet ob concursum causarum universalium, & tunc non solum articulos, sed etiam Cerebrum inundare potest, ut memoriæ læsio simul oriatur.

Diagnosis ipsius Affectus. §. 38. Signis quidem ratione ipsius affectûs vix opus est; Ipse enim æger refert, utrum difficultatem vel totalem ineptitudinem sentiat? subjectum verò cognoscitur è circumstantiis, e. g. si

Subjecti. causa in ipsô Cerebrô hæret, malum est permanens & diuturnum & sequitur læsiones Cerebri manifestas; quæ si absunt, & aliarum partium morbi antecedunt, in his quoquo sedes radicalis quærenda.

Causarum. §. 39. Causarum signa explicat ipse *Galenus l. 3. de locis affect. C. V. e. g.* Intemperies frigida & humida patet è Signis Temperamenti phlegmatici, causis antecedentibus ad frigiditatem disponentibus, in specie sentitur totius corporis gravitas, lassitudo, somnolentia, excrementa redduntur multa, aquosa, pituitosa, quæcunque addiscunt, facilè rursus perdunt. In temperaturâ verò calidiori sensûs quidem sunt vegetiores, corpus agile, sed judicium in stabile, mutabile, somnus parcior & reliqua signa Temperamenti Cholerici. Connata percipitur statim ab infantiâ è stupiditate, morositate, & si hæreditaria simul est, in ipsis

Prognosis. parentibus sive patre, sive matre, talis defectus fuit deprehensus.

§. 40. Atque sic ratione graduum, subjectorum & causarum variat quoque Prognosis; quò minor enim gradus, leviores causæ, minùs inveteratæ & extra cerebrum sitæ, eò faciliornm Curam admittunt & contrà. Omnis quidem Memoriæ læsio valdè mala & in omni morbo oblivio pernitiosissima, teste *Hippocrat. 1. Prorhet.* quoniam principalem occonomiam afficit, plus tamen periculi habet totalis abolitio, quàm imminutio, eaque à morbis acutis aliisque gravioribus, e. g. à philtris, Venenis, Epilepsiâ, Apoplexiâ, Carô & similibus. Tales enim per se difficillimi sunt & sup-

ponun

ponunt gravisſimam cauſam, aliàs vix curabilem. Ita oblivio ex ſeniô nimiô Curam vix admittit, quoniam juventutis vigor contra naturæ curſum reddi vix poteſt. Nec hæreditaria, vel à vitio formationis ſaltem facta curari poteſt, quoniam conſtitutiones tales aliàs ferè immutabiles ſunt: Naſcuntur & moriuntur communiter cum ægris.

§. 41. Ignorantia cum rigore, in febribus ſcil. mala eſt, teſte *Hippocr. Aph. 30.* Rigor enim in febribus malignis aliàs ſuſpectus & prodromus Epilepſiæ; ſed cum miti delirio ſi contingit, minùs periculoſa eſt; leve enim delirium indeque Memoriæ læſio in febribus inſtante Criſi à turbâ ſpirituum oritur, qui tamen brevi ſubſequenti Criſi facilè ad priſtinum redeunt.

§: 42. Quoniam verò Vitales actiones non concurrunt immediatè ad Læſiones Memoriæ, ideò per ſe quoque cum vitæ periculô conjunctæ non ſunt, niſi, quod tamen ſæpiſſimè fieri ſolet, alium graviſſimum morbum comitem habeant. Imò oblivio omnis in latitudine ſanitatis, ſi non ſubſequitur, tamen prænuntiat morbos futuros Capitis gravisſimos, præcipuè Lethargum, Carum, Apoplexiam vel Epilepſiam; coincidunt enim in cauſis eſſentialibus & ſubjecto cum Memoriæ læſione. *Aliàs* etiam citra ejusmodi morbos interdum diu durare & cum ægrô ſeneſcere ſolet.

§. 43. Quando ad ſalutem redit æger, intemperies ſenſim remittit, beneficio naturæ & medicamentorum, Spiritûs exaltantur & priores motûs expedite obeunt. Sic Senenſi cuidam cum ad dies XX. hôc malô vexaretur, venter fluebat, Diarrhæâ pituitosâ & biliosâ, quâ liberabatur, teſtante *Dodonæo obſ. LVII.* Si verò læſio & arte & naturâ gravior eſt, Spiritus ſenſim magis occumbunt, quousque ægri Lethargici, Epileptici aut denique Apoplectici moriuntur.

CAP.

Curam Memoriæ ediſſerit.

§. 1.

ECce tàm fragilis eſt omnium pretioſisſimus theſaurus, tàm varia pericula incolumitati & felicitati ejus imminent, ſine, quâ tamen nemo mortalium vivere poteſt felix; Quantò magis igitur Eruditis omnibus, quorum præcipuum & vitæ neceſſarium bonum eſt, pro ſalute ejus invigilandum erat, ne ex tot periculis imminentibus naufragium patiatur, vel ſi, quæ vitæ noſtræ fragilitas eſt, eâ nihilo ſeciòs ex inſperatô lædi contingat, tamen rurſus curari & in vigore conſervari poſſit: Quô pactô hæc juxta artem fieri deceat, hôc capite ediſſeremus.

§. 2. Vidimus autē hactenus varias Læſionis memoriæ cauſas, tàm varios etiam & ſæpè contrarios curandi modos juxta accuratem Medendi methodum, tùm ratione ſubjecti & partis affectæ, tùm ratione cauſæ, in promptu eſſe oportet, ne minus ſapere videamur, quam *Sutor* ille, qui unum calopodium omnibus hominum pedibus applicare volebat. Nullum enim Remedium in Arte noſtrâ habemus, quod omnibus æquè conveniat, nec omnia omnibus proſunt, ſed hæc magis illis, alia aliis pro diverſitate naturæ, Temperamentorum, Ætatum, Symptomatum, aliarumque circumſtantiarum. Si non Homo, inquit erudite *Valleſius Med. l. 3. c. 7.* ſed Angelus morborum curam gereret, is certè nunquam, neque per myriades annorum bis eidem manum admoveret, nullâ ſpeciei, intenſionis, modi aut occaſionis utendi ratione factâ.

§. 3. Cura. Practici, etiam qui Dogmatici audiunt, in uno aut altero medicamento ſæpè tantùm fiduciæ ponunt, ut eô omnibus Memoriæ defectib9 mederi ſe poſſe, tàm audacter pronuncient. Audiamus *Zacutum Luſitanum*, Medicum aliàs peritisſimum, qui *Tom. 2 pr. Hiſtor. l. 1. c. 9. proponam*, inquit, *præſidium, cujus ope plures ex nativitate immemores facti memores ſunt. Alii ex morbô omninò obliviosi priſtinam memoriam recuperarunt, alii licet felicem haberent miraculoſam deinceps hujus auxilii beneficio nacti ſunt; quod celare, impium & ingenuô homine indecorum arbitratus ſum; Nam homo etſi craſſo polleat*

leat ingenio & rudi intellectu, asininæque capacitatis sit, per hoc experimentum brevissimo tempore scientiam acquiret certam, promptissimam & humanum captum superantem: Quoscunque alios audierit vel legerit, retinebit sine difficultate & si mille nomina cum illo sint repetita, omnia eodem modó & retrogrado extemplò recitare poterit, ut ne semel quidem in ulló impingat &c. Indecora certè sunt ejusmodi Elogia Medico ingenuo & Dogmatico, quibus suppositâ tantâ causarum varietate, effectus respondere, impossibile est. Tàm admirandum Zacuti Remedium consistit in tribus, Vino scil. medicato, Gargarismate & Ungvento, quibus omnino sua est efficacia, sed in certis constitutionibus, uti demonstrabimus in sequentibus. Nos potiùs Remedia è quibuscunque fontibus petita huc trahemus, & pro ratione circumstantiarum applicabimus caute.

§. 4. Et quidem è fontè Chirurgico primùm se offert generosissimum aliàs Remedium V. S. quàm memoriæ læsionibus quibuscunque applicari haud posse, quilibet videt; Noxia enim potius esset & malum augeret, si ab Intemperie frigidâ, humidâ, acida, defectu Spirituum, langvore, ætate decrepità & similibus dependeret. Nihilo secius evenit non raró, quòd obstructio aliqua visceris, uti suprà notavimus ex obstructione mensium memoriam læsam fuisse, vel Plethora, extravasatio sangvinis in casu ab alto, contusionibus, vulneribus, vel etiam febris, aut inflammatio visceris subsit, in subjecto aliàs adhuc robusto, & tunc omnino nihil noxæ, quin potiùs maximam utilitatem, etiam ad memoriam redundantē afferre poterit V.S. sive quod sangvis hac ratione commoveatur, s. ventielt. s. revellatur &c. quæ indicationes V.S. alias notæ sunt.

§. 5. Ex hac ratione nec Cucurbitulæ scapulis & brachiis adplicatæ, præcipue in assvetis prorsus inutiles sunt, quoniam non solùm sangvinem, sed etiam serositates à capite ad partes externas derivant, Quo fine easdem maximoperè commendat *Solenander S. 2. Consil. & Galen. l. 3. de locis aff. c. IV.*

§. 6. Cauteria & Vesicatoria extemporanea opem ferre queunt in subita abolitione & imminente Lethargo, Caro vel Apoplexia & quidem à causâ serosâ, pituitosa, acida; præmissis tamen & interpositis universalibus Purgantibus & Alterantibus, de quibus paulò pòst. Ita cauterio actuali Capitis posteriori parti applicato, duos Lethargicos exanimes à *Ludovico de Leonibus* vitæ redditos

fuis-

fuisse testatur *Marc. Aurell. Severim. l.2. Pyrotechn. p.1. C. IX seqv.* Et *Excellent. Dn.D. VVedelius Disp.* de Apoplexia testatur, se ferro ardente occluso, charta interposita caput lævigari jussisse in Apoplectico felici cum successu. Singularem modum, ut etiam Vesicatoria citiùs operentur, quàm aliàs solent, edocet *Henricus ab Heer Obs. 21.*

§. 7. Eâdem ratione operantur Setacea nuchæ inter secundam & tertiam vertebram applicata, ideoqve ad memoriam in specie laudantur à *B. Rolfincio Meth. Med. Spec. L.VI. SV. p.1. C. III.* Sed qvoniam effectus tardiùs seqvitur, eadem potiùs extra paroxysmum graviorem Lethargicum, qvemadmodum & Fonticulos Præservatoriè locum habere judico.

§. 8. Multùm qvoqve prosunt Frictiones Nuchæ & artuum cum pannis calidis & asperis, discutiendo & resolvendo humores; qvò etiam spectant crebræ pectinationes & frictiones capitis, de qvibus leg. *Marsil. Ficin. de Studiosor. sanitate tuendâ.*

§. 9. Plura vix suppetuntur è Chirurgiâ, sed è Pharmaciâ reliqvas Indicationes supplere nunc conabimur, & qvidem prima & præcipua sint Laxantia & Purgantia rursus ad ægri naturam, morbi statum aliasqve circumstantias accommodata. Raró qvidem Memoria curanda Evacuatione indiget, cùm sæpiùs oblivionem inducat nimia siccitas, defectus humidi naturalis, langvor spirituum & similia. Nihilosecius vidimus suprâ, qvòd sæpiùs etiam humorum abundantia in culpâ sit & qvidem, si pituitosi & serosi fuerint, ante omnia in subsidium vocanda & pro necessitate per vices repetenda erunt Purgantia Phlegmagoga ad Memoriâ in specie accommodata; cui scopo sufficiunt Pilulæ *Dn.D. Præsidis* Catharal. vel alia. Talia enim in quocunq; formâ facilè possunt concinnari, præcipuè in Vino Laxativo Cephal. qvod obsetvabimꝰ paullò post inter Alterantia. In Intemperie Melancholicâ, siccâ, ætare senili & simili conveniunt tantùm Humectantia & Laxantia, uti satis notum est; Si verò Intemperies calida &, vel frigida & sicca sicca, vel alia ejusmodi causa in culpâ fuerit, Purgantibus prorsus non opus est; Qvæ omnia non nisi prudentia Medici eruditi dirigere protest.

§. 10. Neque Vomitoria hic directè facere queunt, nisi quando, quod interdum fit, simul ventriculus & reliquæ primæ viæ mul-

multis cruditatibus ſcatent; unde etiam fuligines craſſiores Caput feriunt & torporem augent, aut fovent, quô caſu omninò feliciter propiantur citra moram; ſiquidem non rarò per hanc viam ipſa natura ſe ſpontè liberare viſa eſt, uti videre licet ap. *Langium in Miſc. Cur. C. V. River. Pr. Med. L.* 1, *c.* 2. *Frider. Hoffmann. Meth. Med. l.* 1. *C.IX.*

§. 11. His igitur Evacuantibus pro neceſſitate ſuppoſitis, vel etiam omisſis, ſtatim in promptu ſint Alterantia tàm interna, quàm externa, eaque cuilibet Intemperiei convenientia & in ſpecie Spiritûs Animales confortantia. In Intemperie frigidâ & humidâ conveniunt, uti notum eſt, Medicamenta Balſamica, ⊖na & 🜍ea volatilia, qualia collecta habentur in promptuariis, præcipuè ap. Macaſium. Nobis ſelectiora in decenti forma exhibuiſſe ſufficiat:

Rec. ▽ ad Memoriam Schneid. ℥ij. vel Langij.
Carfunc. Cinam. ā ℥j. *Lil.* convall. ſ. v. ℥iij.
Eſſ. *Ambr.* gryſ. ʒjß. Croc. ℈j.
Syrup. Cort. Citr. ℥j.

MS. Haubtſtärckendes Waſſer / cochleatim detur præcipue manè veſperi.

Rec. Elix. Vitæ Matthiol. ℥iij.
▽ Serpill. vel N.M. Lil. convall. c.v. ā ℥iß.
Eſſent. Ambr. ʒj.
Sacch. Cand. q. ſ.
Detur eôdem modo.

Vel ſi magis exaltata & Chimica placent:

Rec. Elix. Cephal. *D. Mich. l. Rolfinc. l. Dn. D. Præſ.* ʒij.
Eſſ. Succin. vol. Caſtor. vol. ā ʒj.
M. S. Hauptſtärckend Eſſenz doſ. gt. 60. in vino generoſo, bis l. ter de die jejuno ſtomacho.

Rec. Eſſent. Aromat. *Dn. D. Præſid.* ʒij.
Lign. Aloës Ambr. ā. ʒj.
M. doſ. gt. 40. ad 50.

E pulveribus valdè commendatur ubivis apud Practicos *pulvis Trithemii*, uti videre eſt ap. *Müller. in Miracul. Chimic. p.* 117. *Ruland.* C. 1. p. 100. cujus deſcriptio extat ap. *Hartmann. in Prax. Chymiatr.*

D Ejus

Ejus tamen ingredientia quædam admodùm inconvenientia non immeritò omitti , iisque alia quædam substitui queunt. Non inelegans erit ejusdem loco sequens Tragæa:

Rec. Specier. Diambr. Diamosch. d, Aromat, rosat. Diaxyloal.
Succin. alb. pt. ã. ʒj.
Gran. Thur. Mastich. ã. ʒß.
Sacch. alb. ℥j.
℗o Cinam. gt. vj. Citri gt. viij.

M. capiatur singulis manè & vesperi, vel tantùm sæpiùs prout necessum fuerit, cuspis cultelli una vel altera , cum haustu ▽æ ♌-sæ, l. Vini opt.

Rec. NM. Thur. Masc. Lign. Aloës ã ʒj.
Sem. Sinap. Anis. Coriandi. Cubeb. ã. ʒij.
Cinam. ac. Succin. pt. ã. ℥ß.
Mosch. Ambr. ã. ℈ß.

M. detur bis vel ter in Septimana cubitum ituro ad ʒj. in Vino generoso cum pane albo tosto. Evporiston sæpius fuit sequens facillimæ compositionis:

Rec. Thur. Masc. ℥ß pip. long. ℈ij.
Mf: pis, detur. ʒj. pro dosi , cujus efficaciam probatam vide ap. *Sennert. in Praxi.*

Tales pulveres excipiuntur ab aliis vehiculis Confortantibus, ut fiant Electuaria, Morsuli, vel Rotulæ, quibus quidem Saccharatis nos valdè diffidemus, quia nihil aliud sunt, quam palliata acida, acidam pituitam commune ferè morborum, in specie hujus principium augentia; Nihilo secius si desiderio ægri accommodanda sint, dabimus seq.

Rec. Cons. Lavend. Anth ã ℥j. Specier. Diambr. Diamosch. d. ã ʒj.
Confect. Alkerm. complet. ʒß l. j℗o. NM. gt. IV. Cinam. gt. iij.
Syrup. Stæch. ad Arab. q. s.

M. dosis est qvantitas Nucis Moschatæ manè & vesperi, vel etiam freqventius prout visum fuerit.

Sola Confectio Anacardina à Mesue introducta & Memoriæ unicè dicata usui familiari substituitur à Practicis, cujus tamen inepta compositio meritò corrigenda prius est ad ductum *Zwölfferi, Pharm. Regia* Vel redigantur Confortantia talia in Morsulos:

Rec. Cons. Majoran. Anth. Meliss. ã ʒiij Zingib. in Ind. condit. NM.

con-

condit. ā ℥vj Rad. Acor. condit. ℥iij. Conf. Alkerm. l. Anacard. ℥ij Specier. Diambr. Diamosch. d. ā ʒiiß Sacchar. in ▽ Meliss. solut. q. s. f. s. a. Morsuli in fine Ol. NMtæ ad ℈j. in spergendi, D. ad Scat. S. Stärck Morsellen zum Gedächtnis / dentur ad ʒij jejuno ventriculo.

Rec. Specier. Diambr. Diamosch. d. ā ʒiij pulv. analept. Minder. l. succin. pt. ʒj. pulv. Sinap. ʒij. Sacchar. in ▽ Cinam. l. Melissæ lut. q. s. f. s. a. Rotulæ s. Stärck-Küchlein offt unter Zunge zu halten.

Sed non omittenda sunt Vina Medicata, plerisqve Ægris grata & valdè convenientia, qvibus etiam Laxantia sociari commodè posse; antea monuimus; Igitur

Rec. Rasur. Lign. Sassafr. ℥ß Rhod. ʒiij. Aloes ʒij.
Rad. Helen. Caryopyll. ā ℥ß
Cinamom. ac. ʒij. Caryoph. ar. ʒiß
Macis, Zingib. alb. ā ʒj.

Incis. & contus. D. ad Sericum pro Vino Medicato vel ~tu Vini.

Recip. Rad. Acor. Ver. Helen. Galang. ā ℥ß
Flaved. Citr. ℥ß Orant. ʒij
Herb, Meliss. Mj. Majoram. puleg. ā Mß.
Fl. Anth. Lavend. Stæchad. Ar. ā. p. ij
Sem. Coriand. Siler. Mont. ā ʒij
Cass. Lign. ℥ß Zingib. ʒß

M. præparentur ut priores, qvibus etiam si placet, addi possunt Laxantia: Ita facilè explebit, si non superabit vires pulveris illius Trithemii.

Huc spectat Vinum Medicatum *Zacuti* è tribus illius mirabilibus & divinis, tantopere ab ipso commendatis, propterea tamen non universale, sed tantùm Imperiei humidæ & frigidæ conveniens, qvod componitur è Zingib. piper long. ā ʒj Galang. Cargophyl. Cubeb. NN. ʒjß

Incis. & contus. affund. Vini ℔ij pro Vino Medicato.

§. 12. Pertinet qvoqve huc Potus Herbæ Thee, Coffè & Chocolatæ, Magnatum hodie Panaceæ. Et profectò Herbam Thee, licet non in omnibus, tamen plurimis & præcipuè chronicis morbis, mediantibus Chimicis Essentiis pulveribus & similibus prorsùs incurabilibus, maximum levamen afferre, novi ex iis, qvi ex usu ejus legitimè administrato optimè se habent & qvi Ægris suis eam cum

fructu propinat qvotidiè: Nec vana eorum persvasio est; Gaudet enim Herba Thee consentiente *Gvilielmo Pisone Cornel. Bontekoe,* aliisq; hujus Herbæ peritissimis, ⊖e tenuiori optimè digesto, amaricante & aromatico sensibili, cujus beneficio certè, ut alia Vegetabilia analoga, pituitā resolvit, obstructiones aperit, humores superfluos ex siccat & leviter adstringit; Huic accedit vehiculum valdè accommodatum ▽ tepida, qvâ soluta substantia ista tenuior non solùm ad intima penetralia corporis promovetur, sed etiam ⊖ia acida ♀ea in podagricis, Calculosis Scorbuticis aliisq; aucta egregiè diluuntur & absterguntur, Humiditates superfluæ absumuntur per ⊡nam, vel transpirationem insensibilem resolvuntur, exsiccantur & per conseqvens dolores leniuntur, humoribus & spiritibus motus naturalis redditur, toti corpori, præcipuè qvoad actiones animales & in specie Memoriā, alacritas conciliatur &c. Qvamvis qvidem non negem ejusdem ferè virtutis Decocta ex aliis qvoqve Vegetabilibus e.g. è Sassaparilla, China, Helenio, Sassafras, Melissâ, Veronica parari posse pro Memoria, ab humiditatibus superfluis labefacta; Tale etiam Decoctum Lignorum per tractum aliqvod temporis usurpatū in hôc præcipuè morbo jam tum magnifecêre *Franc. Hildesheim in Spicileg. III C. VI. Juncker. de Ligno Sancto Cap. d.* Memoriâ. Coffè autem & Chocolata magis nutriunt, & propter aromatica Ingredientia spiritûs langventes ac inopes sensibiliter recreant & refocillant.

§. 13. Sed Alterantium & simul qvoqve Evacuantium vicem efficaciter sustinent Sudorifera & Diuretica, utpote qvæ non solùm cum energiâ exsiccant, spiritûs exaltant, rare faciunt, augent, sed etiam humiditates superfluas per vices secretionibus naturalibus dicatas, feliciter eliminant; Pro extemporaneô & per vices repetendo usu inservient seqventia:

Rec. ▽ Meliss. Cochlear. s. v. ā ℥j. Theriacal. ℥ß
 C.C. succinat. l. Ebor. ʒj.
 ⊖ volat. succin. ℈ß Syrup. Stæchad. Ar. ʒij M. pro haustu
 S. Stärck- und Schweiß-Tranck auff 1. oder 2. mahl.

Rec. Decoct. Lign. Gvajac. vel Sassafr. ℥ijß
 ♀ri Sassafr. Ebor. ā ℈j Cochlear. ʒß
 Extr. Croc. g. ij Syrup. Cortic. Citr. ʒiij
M pro dosi.

Rec.

Rec. ♁ CC. ſuccinat. Ebor. ā ʒj
Eſſent. Lignor. ʒij
MS. Schweis Spiritus doſ. gt. 50. 60. cujus loco ſufficit qq. ♁ Bezoard. Buſſi, qvi ex iisdem ferè conſtat.
Pro Diuriſi, ſi natura eò inclinare obſervatur, darem ſub hâc formâ.
Rec. Eſſent Catharr. D. Præſid. l. Lignor. ℥ß. Succin. vol. Caſtor. ā ℥j
M. S. gt. 60. pro doſi.

§. 14. Hic omnibus tàm Alterantibus, qvàm Evacuantibus, internis non immeritò etiam ſocianda veniunt Alterantia l. etiã Confortantia Externa, & qvidem Alterantium vicem pro hoc ſcopo ſufficienter ſuſtinent ▽æ Apoplect. *D. Sennert, Nymmanni* aliorumq;, ▽ Magnanim. Sophor, Dorncreil, anteà commendatæ. Mirabilis etiã eſt ſola ▽ Roriſmar. & Meliſſ. multiplicis Infuſionis cum ♁ Vini ☊lata & cohobata, uti videre eſt ap. *Jul. Cæſ. Claudin. Empyr. Rational. L. III. S. I. C. IV.* E ſolô etiã Roremarino conſtat ▽ illa *Reginæ Hungariæ*, qvæ hodiè ex Italiâ tám copiosè circumfertur, cuj9 deſcriptionẽ habet *Prævotius in Medicinâ Pauperum. Foreſtus Obſ. l. X. obſ. 32*, ▽m Hederæ Arbor. ter ☊ lat. valde efficacẽ obſervavit, ſi eàdem omni manè nucha & occiput fricentur. Et *Conrad Kunrad. Medull. deſtill.* ſecretam probatæq; virtutis eſſe putat ſuam qvam tamen præter aromaticam & Balſamicam virtutem nihil peculiaris obtinere judico. Non minoris, ſi non potioris virtutis erit ſeqvens ☊ latum:
Rec. Herb. Roriſmar, Majoran. Origan, Fl. Lavend. Lil. convall. Anth. ā Mj. Cubeb. Gran. Paradiſ. l. Cardamom. Sem. Pæon. Thym. Nigell. ā ʒß. Rad. Pæon. Caryoph. Jreos. Flor. ā ʒj. Styrac. Calmith. ʒvj. Ol. Juniper. Laur. Maſtich. Coſti. Spicæ ā ℈j.
Præparat. dig. in ♁ rectificatis ſ. Vin. & ☊lentur in B. ſeparando Ol. à ♁ tu & utrumq; pro uſu ſervando.
Vel fiat ſaltem Infuſum ex ejusmodi Cephalicis in Spir Serpill. l. Anthos.

Ejusmodi Confortantia Balſamica concentratiora præbent Balſamica vel Ol. in ſpecie, unde commendari meretur Balſamum Memoriæ *Mynſichti in Armamentar. Chim. S. XXXIV.* Tale etiam è ſecretisſimis ſuis commendat *Joh. Agricola Tr. de ♀ ro p. m. 727.* Et aliud *Franciſc. Hildesheim*, qvô felicisſimô cum ſuceſſu uſum ſe eſſe aſſerit *in ſpicileg. III. p. m. 336.* ſeqq. Ita apud *Schröderum in Pharmacop. Chym. p. m. 161*, extollitur Balſamus Mnemo-Cephal., qvem decem

 milli-

millibus florenorum à Doctore qvôdam Anglo emisse ferunt. Habent qvidem Empyrica talia varia Ingredientia incongrua & minùs efficacia, qvæ tamen cognitis nunc magis Medicamentorum facultatibus à Medico perito facilè poterunt corrigi; Substituerem ergò ejusmodi Balsamum:

℞ Ol. NM. expr. ʒij Balsam. peruv. ʒj. st. Castor. Myrrhæ per deliq. Thur. ʒß Anth. Lavend. Majoran. Ruth. ā ℈ß Cariophyl. succin. alb. ā gt. vj. Mosch. gr. vj.

M. pro Balsamô, qvô inungantur Vertex, nucha & nares.

Mynsichtus loco Balsami Peruviani recipit Ol. Laterin. & vocat Balsamum suum Memoriæ

Vel Rec. Ol. Nucist. ʒj. Lavend. Rut. Majoran. Anth. Lign Rhod. ā ℈j. Cinam. Succin. ā ℈ß. Zibeth. Mosch. ā gr. vj. Gumm. asphalt. q. s. M. S.

Solum Ol. Myrrhæ per deliqvium factum & vertici inunctum probatum esse observavit *Horstius in Obs. it. Conrad. Kunrad l. c. & Hæferus H. M. S. VII. C. VI.* qvi etiam fel perdicis ex *Ulysse Aldrovando* commendat.

Ungventum *Zacuthi* mirabile vide ap. Authorem Qvidam è Practicis etiam commendant Capitiluvia, qvem in finem *Mynsichtus l. c.* commendavit Lixivium suum Sapientiæ & *Rolfincius in Method. Med. spec. L. VIII. S. I. C. XXII.* Decoctum ex speciebus Cephalicis cum Vino Gallico verum licet tales lotiones ex herbis Cephalicis parentur, tamen propter eminentem humiditatem poros Capitis laxant, humiditates augent & injuriis externis ab aëre frigidô & humido, venientibus, fenestram aperiunt, præcipuè si freqventius instituantur. Melioris conditionis sunt Sacculi & Cucuphæ Capitis:

Rec. Rad. Cyper. Galang. min. Jr. flor ā ʒiij. Fl Lavend. Anth. Stæchad. Ar. Rosar. ā Mß Gumm. Ladan. Benz. Styrac. Calamith. Succin. ā ʒj. NM. Carophyll. Mac. ā ʒiß.

Præp. ad Chart. s. Species pro Cucuphâ l. alio pileô familiari.

Huc facere qveunt suffumigia & Odorifera Poma satis nota, præ qvibus tamen commendari merentur apophlegmatisantia qvæ simul materiam serosam, pituitosam è particularibus locis Capitis expediunt. Qvi credit *Zacuti* Encomiis, hic è tribus illis mirabilibus substituere potest Gargarisma ejus.

Rec. Pyrethr. Origan. Galang. Zingib. Carv. sem. Plantag. Sinap. ā ℥ij Omnia Contusa coqvantur in ▽ ℔iij. cui in fine adde Mell. cochl. j. Vini opt. nonnihil ad tertias pro Gargarismate.

Ejus

Ejus vicem supplere potest Usus fumi Tabaci Aromat. *D. Sennerti* vel alius in moderato usu; qvibus etiam addi possunt Errhina & Ptarmaca appropriata.

§. 15. Verùm ubi Memoriæ læsio ab Intemperie frigidâ & siccâ dependet, in Curatione potissimùm attendendum, ut defectus humiditatis blande restituatur, abstinendum ergò à prioribus valde exsiccantibus, Sudoriferis, Diureticis aliisqve Evacuantibus, aut cùm multâ humiditate temperentur: Huic scopo inservirent præcipuè Humectantia -^-sa decenter & cum prudenti regimine administrata, e. g. Cura intemperiei friidæ & siccæ.

Rec. Lign. Sassafr. Rad. Jr. Flor. Caryophyll. Helen. ā ℥j. Herb. Meliss. Miij. Fl. Rosar. Borrag. ā Mj. Sem. Anis. fænic. Cortic. Citr. Cinam. ac ā ℥ß passul. min. ℥iv l. ℔ß.

Præp. ad Chart. S. species pro Decocto, partitis vicibus instituendo & pro lubitu cum Vino Oligophoro permiscendo.

Huic interponi interdum etiam potest Electuarium tale.

Rec. Conf. Flor. Borrag. Rosar. Violar. Meliss. ā ℥ß Cort. Citr. condit. Aurant. ā ℥iij. Conf. Alkerm. ʒj. Spec. Diambr. Diamosch. d. ā ʒj. Syrup. d. Passul. q. s. M. S. Stärck Lattwerge, detur cum haustu Vini oligophori.

§. 16. Tandem si ab Intemperie calida & sicca dependet malum, rursùs longè aliter procedendum est; Cum omnibus ejusmodi -^-sis & Balsamicis siccantibus hic cautè mercandum, qvin potiùs humectantia & Temperantia substituenda adhunc modum: Calidæ & siccæ.

Rec. ▽ Ceras. nigr. ℥vj. Lil. convall. s. v. fl. Til. ā ℥ij Cinamom. opt. ʒj. Conf. Alkerm. ʒiß Syrup. fl. T unic. ℥ij. fl. pœon ʒj. -^- ⊕l. phil. q. s. ad grat. S. Stärck-Wasser.

Faciunt huc Emulsiones & Potûs alii, it. Lotiones & fomentationes Capitis vel totius Corporis humectantes & Confortantes, qvales præscribuntur Melancholicis, Phreneticis & Maniacis.

§. 17. Sed notavimus adhuc alias Memoriæ læsæ causas e g. Apoplexiam Epilepsiā, Melancholiam & similes morbos, Horum igitur curam, qvoad causas ibi qvoq; non rarô specialissimas, ubi qvidem hic necessitas postulat, Medicus Practicus exactè noverit, nisi Empyricorum more, Medico Dogmatico prorsùs indigno, adfectum hunc curare velit. Cura Affectuum Complicatorum.

§. 18. Vitia Conformationis Cerebri & Capitis curari prorsùs

ne-

neqveunt, nisi forsan Memoria ejusmodi ægri per artificialia potissimùm adjuvari possit, qvalia circa finem mox notabimus.

Cura Læsionis A Venere

§. 19. In specie Lapsus Memoriæ à nimio ♀ris usu reqvirit largè Nutrientia & Semen restaurantia; Eqvidem Spiritûs in specie multum vigoris animalibus & vitalibus spiritibus addere manifestè liqvetqè langvore eorum, qvi destituuntur illis; Huc ergò faciet Chocolata & similia.

A Venenis & philtris.

§. 20. Eadem Prudentia adhibeatur in defectu Memoriæ à philtris aliisqve causis specialibus, si qvæ in culpa, uti certè contingit, fuerint.

A Contusionibus.

§. 21. Ita Casus ab alto prorsus specialem Curam sibi postulat; Cum enim non tàm debilitatis aut defectus spirituum, qvàm Cerebri subsidentiæ & grumescentiæ sangvinis ratio hic sit habenda.

Diæta.

§. 22. Addendæ igitur saltem hic essent Diætæ convenientis Regulæ, nisi è suprà enumeratis causis ultrò pateret, qvænam è Rebus Naturalibus & qvomodo Memoriæ noxiæ sint, & qvæ è contrariò proficuæ. Id ergo unicè observetur hoc loco, ne Diæta semper eadem, sed æqvè ac Cura juxta diversas causas dirigatur; Etenim aliis ægris -*-sa exsiccantia aliis potiùs humectantia frigida vel Calida; aliis benè nutrientia Aphrodisiaca &c. convenire extra dubium est.

§. 23. Nostri fori non est Memoria artificialis, aliàs qvoq; adminicula eam juvandi artificialia afferre possem. Novi qvidem, qvod hæc à multis improbentur & potiùs pro noxiis habeantur. Verùm si Memoria sensualis & rationalis non minùs, qvam intellectus, qvi tamen adminiculo, Logica sc. artificiali indiget, errare potest, non video qvare etiam Memoria non æqvè arte adjuvari qveat, sive fiat imaginibus, sive aliis, qvæ ex obviis qvilibet capere potest, eaq; ita accommodare, ut veluti ducibus, qvæ audiverunt, postmodùm animo repetita iterum recitare qveant, qvemadmodum *Seneca* de se gloriatur, qvod mille vocabula & ducentos versûs ordine retrogrado recensere, singulos singulis reddere potuerit. Et de Adolescente *Corciro refert Muretus*, qvi triginta & sex millia vocabulorum, ad ungvem recitare potuit. Sed Vid. de his plura ap. *Plater. in Obs. & Ephemer. G. A. 3. p. 516.* Nos hic abrumpimus & Numini Immortali pro concessâ gratiâ Immortales decernimus Gratias.

FINIS.